

200

198

204

194

209

189

249

149

299

099

Ende

Anfang

185

num cum tubis ad mensam dabatur: et cum gaudio quilibet se ad mensam parabat. Quidam autem sacerdos vir corpore gravis, honestus et annosus, qui ad latus meum dextrum cumbam habebat, ad stantiam suam post cantum festinabat, et dum per scalam descendere vellet, et pede primum scalae gradum lubricatum ex continua deambulatione tangeret, facillari coepit pedibus, et deorsum subito ruens importune in carinam cecidit, et ibi quasi mortuus (**B**) jacuit: ad hoc omnes accurrimus pro fratri consolatione. Sed vir ille confracto capite et dissolutis membris pro mortuo trahebatur in cumbam suam. Post horam tamen ad se reversus ligaturas et curas accepit, et aliquantulum post tempus aliquorum dierum convaluit. Prandio finito in marginibus navis stetimus, et tantum montana videre poteramus, quae omnia calva et alba nobis videbantur. Post meridiem vidimus in aquilonari parte montes altos, inter quos mari propinquior erat mons Carmeli, in provincia Phoenicis. In cuius aspectu recordabar, quomodo sanctus propheta Heliias in eo monte Deum pro pluvia deprecatus est, quando non pluerat annis tribus et mensibus sex, et quomodo eo orante ascendit nubecula parva quasi vestigium pedis de mari illo, ex qua generata fuit grandis pluvia, ut habetur. 3. Regum. 18. Cogitavi etiam, quomodo rex Saul in illo monte erexit fornicem, arcum triumphalem ad gentilium morem, in quo descripsit suos triumphos, et in altum erexit, ut a transeuntibus terram et mare navigantibus videretur fornix, in quo facto Deum valde offendit, ut dicitur. 1 Regnum. 15. Admirabar etiam cur sponsus, Cantic. 7., caput suaे sponsae huic monti assimilari voluit, dicens: caput tuum ut Carmelus. Ab hoc denique monte propter sui foecunditatem tota terra sancta denominatur Jerem. 2.: introduxi vos in terram Carmeli. In isto monte fratres Carmelitae sumpserunt exordium, et olim ibi habebant magnum conventum. Fuit autem hic ordo institutus ab Alberto quodam patriarcha Jerosolymitanō tempore, quo Christiani latini habebant Syriam, et tradidit eis dictus Albertus cappam ferre superiorem ex serico quibusdam largis virgis et griseis circulatam. Sic enim dicunt Heliam Prophetam vestitum fuisse, quod tamen nec ex canonica scriptura nec authentica auctoritate haberri potest. Post modum

